

THESAURVS
ANTIQVITATVM
ROMANARVM,

Congestus


a

JOANNE GEORGIO GRAEVIO.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae aeneae.

TOMVS DECIMVS.



Traject. ad Rhen.
Lugd. Batawor.

{ Apud FRANCISCVM HALMAM,
PETRVM vander AA, } Bibliop.

MDCXCIX.

Cum Privilegio.

aquas, aut circum loca aquosa. Credibile est vocem *Fistuca* cum palis hinc communicatam ab ea machina sive instrumento, quo adigebantur in terram defigendi pali. Eam namque machinam proprie Architecti vocant *Fistucam*, unde verbum *Fistucare*. Gallis est *Hie*, unde verbum *hier* fecerunt Interpretes Plinii & Vitruvii, pro *frapper & enfoncer un Pilotis*; quod Parisiis in pontibus lapideis ligneisque struendis, quomodo fiat, videri potest. Scilicet *Fistuca* in longum armata pondere in imo & ad perpendicularum suspensa funibus trochleisque opera hominum trahitur in altum, & a tignis dimittitur supra directos palos, ut crebris ictibus paulatim ad justam profunditatem defixi adigantur pali sive publicæ. *Fistuca* quoque est instrumentum illud utrimque anatum, quo utuntur Pavitores ad opus suum ferendum, solidandum, coæquandum. *Pavimenta* autem, quibus *Fistuca* tales, sive *Sublica* subjiuntur, Latini vocant *Cannea Pavimenta*, teste Maria Grapaldo Parmense, in *Lexic. de Part. Ed. 11. 1. verb. Pavimentum*.

4. Solo solidato & sufficienter coæquato imponebant eadem coria, quæ in *Pavimentis contignatis*, eodemque, quo diximus, ordine; scilicet *Statumen*, *Rudus*, *Nucleus*. Bina posteriora eodem Calcis temperamento, quod in *Contignatis* supra diximus, erant. Hinc Vitruvius VII. 1. *Si plano pede erit ruderandum, quaratur solum, si sit perpetuo solidum, & ita exaquetur, & inducatur cum Statumine Rudus. Si aut omnis, aut ex parte congestus locus fuerit, fistucationibus cum magna cura solidetur. Quo facto inducendum erat supremum Corium, sive Pavimentum proprie dictum, de cujus diversis speciebus suo loco & tempore dicemus.*

SECTIO XVI.

De imo Solo, Plano sive Sede, quæ præparabatur pro collocanda Materia munientis Viæ Publicæ, ejusque diversitate.

1. *Ex comparatione Pavimentorum in edificiis, querendum est Pavimentum Viarum Publicarum, maxime Rusticarum.* 2. *Varia quandoque Sedes intervallorum ejusdem Viæ.* 3. *Bina Sedes rariores.* 4. *Via per Montes excisa diffisos.* 5. *Dua species Viarum, casis utrimque Montium lateribus. Prior species.* 6. *Et posterior. Alpes per Hannibalem aperta.* 7. *Cantes aperta per Appium Cæcum; alia per Cl. Postumum Dardanum.* 8. *Alpes per Augustum aperta. Viæ perfossa & excisa in modum cavernarum.* 9. *Dua Viæ subterraneæ, altera in Ægypto, altera Babylone.* 10. *Via Subterranea in Italia.* 11. *Dua Viæ Subterraneæ circa Neapolim. Prior.* 12. *Posterior inter Puteolos & Neapolim.* 13. *Rex & Prorex Neapolis, qui porro elaborarunt hanc Viæ.* 14. *Conjectura super auctore hujus Viæ.* 15. *Dua Viæ ab Agrippa perfossæ.* 16. *In Viis perfossis alia præter ipsam Rupem vel Cantem materia munitionis non erat opus.*

1. **H**Oc opus, hic labor fuit Architectorum tam in Solo & Sede præparanda, quam in collocandis in ea Coriis & materia interiore Pavimentorum in edificiis, eorumque cum plano pede, tum contignatorum: videndum nunc est, num illi, qui Viæ Publicas faciebant, eadem industria & artificio usi sint, tam in sternendis in Urbe Roma, quam extra Urbem Viis. De Urbis Viis alibi magis opportune loquemur, jam vero

A maxime persequemur, quomodo præpararint *Solum imum* Viarum Publicarum Rusticarum.

2. Certum est, harum *Solum* fuisse diversum pro diversitate locorum, per quæ Viæ Publicæ deducebantur. In una enim eademque Viæ quandoque erant *intervalla* quædam *demersa*, aut intra terra utrinque latera, veluti muros binos altiores, aut *excisa* & *perfossa* per viscera *Rupium Montiumve*, instar profundarum obscurarumque cavernarum: quædam *intervalla plana* & *aqua* erant, & utrinque cum terris vicinis, quæ illa hinc inde cingebant, æquali superficie: alia *eminebant* inter agros vicinos structis aggeribus, molibus, vallis, munitionibus: alia ad *declivitatem montium* erant, ita ut hinc inferior illinc superior esset superficies, qua latera terminabantur. Vides hic *Soli* sive *Sedium* quatuor species, in quibus Viæ Publicæ jacent; quarum *Sedium* aliæ rariores, aliæ frequentiores.

3. Rariores sunt *demersa* infra Terræ superficiem: eas enim ut facerent, *Montes* ad aperiendam Viæ erant aut diffindendi, aut perfodiendi & quasi perterebrandi. quod opus immensi erat sumtus, tum ratione *Terræ*, quæ agitanda & removenda erat; tum ratione durarum *Cantium*, quæ subinde excidendæ erant.

4. Montes appello *diffisos*, qui aperiiebantur a summo ad imum, ut Viæ & Iter admitterent, & qui latitudinem Viæ hinc & inde ceu parietes gemini aut munimenta continebant inclusam. De hinc Viis *diffisis* admirans loquitur Strabo, *Geogr. lib. v. p. m. 429. Cernere licet stratas in agro Viis, excisis ad hac collibus.* Tales sunt Viæ Privernatium in Italia, quas nobis sic describit Baptista Albertus de re adific. IV. 5. *Sunt, qui putent agrum Privernatem esse tutissimum, quod eum profunda Viæ, quasi demersa fossa, persectent, ingressu ambigua, progressu incerta & minime iuta, ripis exstantibus, unde hostis facile possit obteri.*

5. Hæ autem *Via demersa* & *diffissa* erant duum generum. Aliæ enim *decisa* ex *Terra* aut *Arena*, faciliore effossu & egestu in istis intervallis: nam cum ad justam altitudinem in fundum erant apertæ, *Solum imum* erat solidandum & præparandum ad suscipienda Coria eadem, quæ in locis planis & æqualibus usu veniebant.

6. At si aperto monte occurreret *Rupes* aut *Cantes*, ibi tum magnifica Romanorum virtus & audacia locum habebat. Opus enim non intermittebant inceptum, sed scalptis ferreis *Rupem* excidebant, & invita quasi natura ac invia Viæ sibi faciebant hominum plurimorum opera & sumtibus immensis.

E Tales sunt complures Viæ excisæ in Alpibus, quarum una Hannibalem dicitur auctorem habere, ut ex Gallia in Italiam transire posset. Quomodo autem inaccessas hæc Alpes non ferro, sed igne & aceto aperuerit, docet Livius XXI. 37. *Inde ad Rupem muniendam, per quam Viæ esse poterat, milites ducti, quum cadendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt: eamque (quum & vis venti apta faciendo igni coorta esset) succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt; ita torridis incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephantum etiam deduci possent.*

F 7. Sed, ut ad Romanos revertamur, simile Saxum Appio prope Terracinam cædendum fuit, quod Appiam Viæ claudebat. Rem diserte enarrat Cyprianus Eychovius, Germanus pereruditus, qui ipse suis oculis visam illam rupem excisam sic stylo admiratur & describit in *Deliciis Italia: Appia*, ait, *Via silice strata Viatorem detinet structura sua extrema,*

mia, & consideratione reliquiarum antiquarum: atque in primis, ubi in planum & rectum scalpbris ferreis ad litus in Terracinenſi promontorio exciſa eſt ex duriffima caute. Stupet ſpectator admirabundus recta via planum unius ſaxi pavimentum, ſub pedibus porrectum per paſſus plus minus viginti in longitudinem, ac trinis fere paſſibus in latitudinem: munus quidem, ut Appia tota fuit, ab utroque latere limbus bipedali latitudine eminentioribus, qui Viatori pediti ſemitam ſiccā præſtabant. Quibus adjecti lapides eminentiores, veluti baſes quadam, per decimum quemque pedem, e quibus in vehicula vel equos ſcanſio fieret

A commodior. Quis non miretur ſolidum ex eadem candenti rupe parietem explanatum in ſummam altitudinem, quam per pedum decades multas, characteribus numerorum magnis, ſingularum decempedarum diſtantia ſculptis, curioſa Vetuſtas Poſteris demonſtrare voluit? Quem non delectatione afficeret graphicotera characterum illa ſymmetria proportioque? qui aequè magni a longe in altiffimi parietis ſummitate, ac in imo intuentium oculis occurrunt? Sic & pergentibus ad vicum ſancti Genesii prope Ciſteronem occurrunt Rupes diſiſa opere humano, addita hac inſcriptione, a qua locus Petra Scripta dicitur, Gruter. CLI. 6.

CL. φ POSTHVMVS. DARDANVS. VI. NP. ET. PA
TRICIAE. DIGNITATIS. EXCONSVLARI. PRO
VINCIAE. VIENNENSIS. EX. MAGISTRO. SRI
NI. LIB. φ EXQVAEST. φ EXPRAEF. φ PRAET. φ GALL. φ ET
NEMA..... GALLACIAE. φ ET. INL. φ FEM. φ MATERFAM
EIVS. LOCO. CVI. NOMEN. THEOPOLI. EST
VIARVM. VSV. CAESIS. VTRINQVE. MON
TIVM. LATERIBVS. φ PRAESTITERVNT. MVROS
ET. PORTAS. DEDERVNT. QVOD. IN. AGRO
PROPRIO. CONSTITVTVM. TVENTIONI. OM
NIVM. VOLVERVNT. ESSE. COMMVNE. ADNI
TENTE. ET. IANV. φ INL. φ CON. φ AC. ERATREM
MORATI. VIRITI. φ LEPIDO. EXCONSVLARI
GERMANIAE. PRIMAE. EXMAG.. MEMORI
EXCON. φ RERV. PRIVAT. φ VT. ERGA. OMNI
..... VM. SALVT. EORV. ...
..... M. STVDIVM.
..... ET. DEVO.
TIONIS. PVB. STENED.
T. VEV. SARO. SS.

8. Tales porro Viæ complures per *Augustum* in Alpibus ſunt apertæ, quorum mentio facta *lib. 1. Scet. xv.* aliæque, quas ſilentio prætereo, ut veniam ad eas, quæ magis admirandæ per ipſos Montes pertuſos, & in utroque extremo perfoſiis & apertos tranſibant, cætera fornicatæ in formam longarum & anguſtarum cavernarum.

9. Vetuſtas plurimi fecit *Vias* quaſdam *ſubterraneas*, qualium una fuit Thebis hecatompylis, ea longitudine & latitudine, ut Reges *Ægyptii* potuerint educere exercitum extra Urbem illam, inſciis & ignaris plane civibus; alia fuit *Babylone*, inventa & perfectæ a Regina quadam Medorum, & deducta per fornicem ſtructuræ ex lapide & bitumine ſub canalem Euphratis, qui ex maximis orbis eſt fluviis, uti commodè per compendium tranſire ex uno Palatio in alterum poſſet, & a Civibus ſuis tamen nec videretur; uti Philoſtratus docet in *vi-ta Apollonii*.

10. At ſi quis luſtret in hoc Operum genere Italiam, longe alia inveniet miracula: non enim una, ſed plures ſunt *Via ex rupe viva pertuſa exciſa* admiranda longitudine. Tranſeo hic ſilentio *Vefpaſiani Pertuſam Petram*, ſive cavatam Apennini Montis partem, pro tranſgreſſu Viæ Flaminiae continuando, quæ ibi occludebatur, quod de illa dictum eſt *lib. 1. Scet. 17. §. 3.*

11. Ante omnes præcipue ſunt luſtrandæ duæ *Via ſubterranea* in Italia, quarum altera tendebat a *Bajis Cumas*, cujus introitus ſatis erat anguſtus. Qui noſtro ævo illic fuerunt ipſi, ſic eam nobis

describunt: *Via* in ſaxum exciſa longitudinis pedum LXXX. proceditur. Ad ejus finem, dextra perbellum eſt conclave quadratum, in ſaxum exciſum longum pedes XIV. altum XII. latum VIII. Intus exadverſum ingreſſui juxta parietem, ſaxum a pavimento elevatum inſtar tori eſt exigui. Penetræ hoc olim, ut etiamnum ex parte cernitur, magnificentiffime perfectum ornatumque fuit: ſumma teſtudo file Attico cum auri notis depicta: parietes zophoris diſtincti ex margaritarum conchis & corallo compositis: intra zophoros uſque ad imum ſolum, opere teſſellato ex gemmis itemque corallo & margaritarum conchis inducti erant. Vulgo fama eſt hanc *Sibyllæ Cumææ* habitationem, ſive celebre illud Antrum, cujus *Virgilius Aneid. vi.* meminit, fuiſſe. Primum hujus cryptæ exitus nullus patebat, ſed erant obſcuræ cavernæ perpetuæ in ſaxum exciſæ, quarum nonnullæ in Sacellorum formam redactæ ſunt. Sed *Agrippa*, *Auguſti* gener, qui in faciendis Viis omnes longo poſt ſe intervallo reliquit, in hac quoque crypta aperienda magnitudinem & animi ſui & divitiarum oſtendit. Succifo enim *Averni* luco, ut teſtatur *Strabo Geogr. lib. v. p. m. 446.* ſic dicto ab *Averno*, qui inter infernos fluviis ſolet referri, & locum per pulcerrima adornans ædificia, deinde aperta & conciffa hac Crypta ſubterraneam Viam uſque *Cumas* perduxit, quo facto diſcuſſit plurimas Antiquitatis fabulas, ſuper cryptis hiſce & cavernis, nec non invio proceris arboribus luco, & hac regione, quam *Cimmeriis* habitatam olim ferebant, qui nunquam

quam lucem diurnam videbant, in subterraneis hisce domiciliis degentes, quibus exire ipsis non licebat, nisi de nocte; unde proverbio celebratis *Cimmeriorum tenebris* locum fecerunt, & Homero occasionem canendi, quod *ipso nunquam Sol intueretur*. *Odyss. v.*

12. Altera *Via Subterranea* est a Puteolis Neapolim; ea necessario transeunda, nisi quis mari navigare, aut per terras longo circuitu iter facere malit. Nam Pausilypus, mons arduus & Sannazarii Musis consecratus aeternae memoriae, promontorii instar in mare Siculum procurrit, viamque praecudit a Puteolis proficiscenti Neapolim. Id quod Auctori hujus *Via Perfosse*, quisquis ille demum fuerit, occasionem dedit, ut immeni sumtu & diuturno labore per imas radices atque intima viscera montem ad passus plus minus clo. sive dimidam Leucam nostratem, pertunderet, viamque itinerantibus recto tramite planam atque facilem aperiret, atque ex rupe scalpbris excideret, latam pedes duodecim & totidem altam, qualis & jam Strabonis aetate fuit, sic ut duo contraria plaustra simul commeare & transire potuerint, spiraculisque compluribus ad perpendicularum linea recta pervia ad diem admittendum. Audi Strabonem de utraque *Via Geogr. v. p. m. 449. Exstat & his in locis intra montem effossa spelunca, in Dicaarchia Neapolisque medio, sicut altera Cumas tendens, facta, in qua Via obviis curribus pervia multis panditur stadiis: e superna autem Montis parte, excisis multisfariam fenestris lumen in profunditatem infunditur.*

13. Alfonso I. Arragonum Rex regno Neapolitano in potestatem suam redacto complanavit dilatavitque hanc Viam ac fauces; perforavit montis dorsum, atque duas aperuit fenestras, quae lumen obliquum in mediam speluncam ex adverso nunc infundunt, tanquam nix quaedam inspersa solo lux illa transeuntibus apparet procul respiciens in obscuro, priusquam fenestrae videri possunt. Ampliavit opus immortalitate dignum instauravitque magnifice Avorum memoria Petrus Toletanus, dum Caruli v. Imp. auspiciis regnum Neapolitanum administravit. Itaque nunc tam recto tramite Via per montem ducta est, uti Cryptam intrantibus lumen procul veluti sidus quoddam per ostium adversum resplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigant: quibus item facile atque jucundum est, obvios quotque per lumen illud in speluncam intrantes, tanquam Pygmaeos procul vel equites vel pedites cernere.

14. Variæ feruntur Eruditorum sententiae, quoniam primus Viam hanc Perfosam fecerit. Strabo *Geogr. lib. v. p. m. 436. Coccejum*, ait, eam quidem condidisse fossam memoria proditum est, & eam qua ex *Dicaarchia*, id est Puteolis, exstat Neapolim ad *Bajas*. Cæterum quisnam ille Cocceus fuerit, aut quo tempore vixerit, non addit. Leander Albertus in *Descript. Ital. p. m. 274.* de Campania felice & priscis Cumarum incolis verba faciens ait: *Zenobius Accievulus ordinis Predicatorum monachus Graece Latineque doctissimus in Panegyrico quodam Urbis Neapolitanae ac Civium ejus, nonnullos a L. Lucullo factum [hoc Opus] alios a Basso dixisse tantum refert.* Sed non addit idoneos testes. Verissimum equidem est a Lucullo montem juxta Neapolim majore impendio, quam Villam suam prope *Bajas* aedificaverat, excisum esse. Non sane, ut iter Viatoribus commodum faceret, sed ut Euripum aperiret, ac maris undas, cum placeret, piscinis suis immitteret; utique piscibus per vivaria tam ætate, quam hyeme commodas stationes intra montis cavernas pararet. Nec verisimile videtur, opera L. Luculli, quæ maxima & sumtuosa in iis

A locis fecit, quorum ob causam *Xerxes Togatus* a Pompejo Magno, Tuberone, Cicerone, cæteris Principibus Urbis appellatus fuit, Straboni ignota fuisse. Lucullus enim æque mirifica per Pacis otium opera perfecit, qualia magnus ille Persarum Rex Xerxes olim per belli necessitatem. Redeamus ergo ad Strabonem, & illi credamus Auctorem hujus Viæ fuisse Coccejum, quem Leander Albertus l. o. appellat *Cumanum*, aut alium ex hujus gente & familia, de qua Franciscus Schottus in *Itineran. Ital. lib. 111. cap. Rex Puteolos versus p. m. 532. ex Pighii Hercule Prodrasio p. m. 346. Ex Strabonis verbis elicimus, diu ante illius tempora Coccejam Gentem in Campania floruisse: Cryptamque dictam ibi fuisse, nec de ejus Auctore quid aliud tum certi constituisse.* Quamvis autem Strabo fideat, quis fuerit ille Cocceus, & quando vixerit, credibile tamen est fuisse Romanum; jam olim namque Romanam transiverat gens *Cocceja*, ibique Magistratus præcipuos gesserat. Ex ea gente fuit quoque Cocceus Nerva insignis JC. qui sub Tiberio floruit, & pertæsus crudelitatis Tiberii, *omnis divini humanique juris sciens, integro statu, corpore illoso, moriendi consilium cepit*, ut de eo testatur Tacitus, *Annal. vi. 26.* Ex hujus Posteris nonnulli credunt Coccejum Nervam Imp. qui Domitianum excepit. Sed præter nominis Romani conjecturam, magnitudo ipsa Operis animum & audaciam arguit Romanam, non vero alicujus Reguli Campani, si respicias operarum & impensarum ad hoc opus perficiendum multitudinem, quæ tantæ fuerunt, ut Leo Baptista Albertus de *Re Aedific. 11. 2.* quærat: *Tum & eum, qui tam multis hominum millibus montem apud Puteolos foderit, quis non malit utiliori aliqua in re tantum opera atque impensa consumsisse?* Adde ejusdem magnificentiae Romanæ complura in illo terrarum tractu opera, ubi lubentissime & propter summam cœli temperiem & agri amoenitatem ac fertilitatem, & aquarum limpidarum dulcedinem otari & rusticari solebant Romani. Sic & ipse Misenus, mons Virgilii Musis celeberrimus, cryptis atque cavernis multis pertusus atque concavus est, ædificiisque fornicatis, quæ numerus columnarum maximus fulcit ac sustinet, a Romanis perfosus est, ut in fornicum pilis incumbere prorsus ac insidere videatur.

15. Illud saltem extra controversiam est, Agrippam non solum aperuisse Cryptam Cumanam, sed & insuper binas Vias fecisse per viscera duorum montium excisas & perfosas. Inter opera enim Agrippæ a Cypriano Eychovio in *Deliciis Ital.* recensentur *Excisus Averni salus propter sylvarum densitatem, & aeris salubritatem: perfossi montes atque duræ cautes, quo Via paterent plana per compendia ad Bajas Lucrinique littora.* Cætera liberum esto cuivis hac in re iudicii arbitrium.

16. At enim quisquis demum Auctor fuerit harum Viarum, Puteolanæ & Cumanæ, aliarumve pertusarum excisarumque e viva rupe, illi in Viis hisce stratura opus non fuit, aut Pavimentorum coriis; cum enim Viæ hæc partem facerent ipsius rupis, satis firmæ & solidæ erant ad sustinendum Vecturæ impetum & trituram. Adeoque sufficiebat, eas aperuisse & complanavisse. Quare transeamus ad alia, Vias, aut earum partes, in apertis campis factas, quæ omnium maxime frequentes teruntur, & in suis visceribus non minus mirifica continent, quam modo dictæ excisæ ex rupibus.